



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. LIX. De Diversis Tractatibus & Parlamentis Svantepolci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Conradus Landgr. Thur. V. Mag. Gen. Ord. Tent.
Henricus de Wida III. Magister Provinc. in Prussia.*

CAP. LIX.

De

*Diversis Tractatibus & Parliamentis
Svvanropolci.*

Svvanropolcus audiens adventum Magistri, rogavit eum, ut Dominum Henricum de Lichtenstein sibi mitteret, qui cum ad eum venisset, post multas querelas, quas de fratribus coram eo proposuit, ait: paratus sum ad omnem justitiam me obligare, & facere quicquid preceperint Fratres, si filius meus restituitur, quem dedi eis in obsidem. Dominus Henricus attendens, quod in veritate dirigendus est quilibet & docendus, dixit ad eum: Filium vestrum nullo modo rehabere potestis, quia pacem, pro cuius securitate ipsum Fratribus in obsidem tradidistis, non semel sed pluries irritastis, adhærendo Apostatis & infidelibus, cum quorum exercitu terram Christianorum & fratrum rapinâ & incendio devastastis, & negotium fidei infinitis angustiis Christianorum magnificè promotum per vestram militiam destruxistis, Christi fidelibus quibusdam miserabiliter trucidatis, aliis in servitutem perpetuam deductis. Undè non justitiam, sed gratiam requiratis. Sed quia Veritas odium parit, & à perverfis continnè detrahitur sermonibus veritatis; Ideò istè perfidus Svvanropolcus tanquam aspis surda obturans aures suas à veritate, auditum avertit, & talia verba ab ipso audire contemnens, dictum Dominum Henricum salvum remisit in civitatem Colmensem, ubi Magistro & Fratribus quæ audiverat recitavit. Non longè postea idem Dux Magistrum induxit, quod cum eo convenerat in quadam Insula Wifele, ubi post multos variosq; tractatus habitos inter se sine fine amicabili sunt divisi.

X

CAP.